

sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifeste quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci. Et post aliquanta¹: Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in particeps quolibet prave communionis effecto execrationem sui gestat et poenam. Et item idem in epistola ad episcopos per Dardaniam constitutos scribit dicens²: Non autem nos latet in tempestate persecutionis Arrianæ plurimos pontifices de exiliis pace reddita respirantes per certas provincias congregatis secum fra[t]ribus^a ecclesias composuisse turbatas: non tamen ut illius synodi Nichenæ statuta, quicquid de fide et communione catholica diffinierat, immutarent nec nova quenquam pro lapsu damnatione percellerent, sed

*f. 82. ipsius tenore decreti, nisi resipuisset, iudicaret dampnatum, *[e]sset-que^b consequens, ut, nisi corrigeret, damnationi procul dubio subiaceret. Quibus convenienter, ut dictum est, ex paterna traditione perpensis confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, uniuscuiusque synodi constitutum, quod universalis ecclesiae probavit assensus, nullam magis exequi sedem prae caeteris oportere quam primam, quae et unamquamque synodum et sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, pro suo scilicet primatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce percepto ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet.

29. Haec si debita discretione tenere voluerimus, 'nihil', sicut dicit apostolus³, 'per contentionem neque per inanem gloriam' agentes a via regia⁴ in sacris canonibus numquam exorbitabimus. Quia, sicut sanctus Innocentius ad Decentium scribit⁵, si instituta ecclesiastica, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod tradi-

*f. 82'. tum est, sed quod sibi *visum fuerit, hoc existimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis vel ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui, dum nesciunt traditiones antiquas humana praesumptione corruptas, putant sibi aut ecclesias non convenire aut ab apostolis vel apostolicis viris contrarietatem inductam. Quis enim nesciat aut non advertat id, quod a principe apostolorum Petro Romanae ecclesiae traditum est ac nuncusque custoditur, ab om-

^a) t nicht mehr erkennbar.

^b) e nicht mehr erkennbar.

¹) Corp. Vindob. 35, 779; HINSCHIUS S. 642.
35, 777 f.; HINSCHIUS S. 642.

³) Phil. 2, 3.

²) Corp. Vindob.
⁴) Vgl. Num. 21, 22.

⁵) MIGNÉ 67, 237; HINSCHIUS S. 527 (J-K. 311).